

subsequuti, vix in conspectum se oppidi dederant, cum jam Prosper, suburbiis fonteque occupatis, cum hostibus, qui se Margaritino ejecerant, atque equitum manu, qui e Paramithia subsidio venerant, editumque collem ceperant, prælum iniisset. Qui jugum infederant Turcæ, nostrorum inspecta acie, sese recipiunt; reliqui in oppidum se trudent; neque propterea demittunt animos, ob confragosa itinera, tormenta mœnibus admoveri non posse rati, quæ insuper lateribus tuta, scalis ascensum non admitterent; triremes vero nostræ in statione ad austrum versa non absque periculo consisterent. Subsidiiis quoque peditum mille, ac quadringentorum equitum, quæ jam supervenerant, confidebant. Dum tormenta subvehuntur, levioribus certaminibus dimicabatur; admotis machinis, ac oppido quati cœpto, insueto terrore perculsi hostes, colloquium petunt: ni postridie nova in meridie subsidia a suis veniant, deditionem paciscuntur. Affuere sequenti die opem præbituri Turcæ; sed a nostris tota planitie montiumque aditibus occupatis, impediti: oppidani se Cornelio permiscere. Turcis militibus abitus concessus, qui cum in angustias, quas Galli pedites tutabantur, incidissent, fractæ eidem genti ad Olchinium fidei cæsi omnes pœnas dedere. Oppidum deinde a milite direptum, quod communiri nequireret, solo æquatum est. Ea clade audita, Turcæ Suppotum reliquere, quod eodem victoriæ cursu, ab Epirotis dirutis ædibus, incensum est; octo tormenta, quæ Venerius in oppidum antea captum inferri curaverat, Corcyram abducta.

Dum hæc geruntur, Jacobus Superantius, cum imperio legatus, vii. kal. decembris Corcyram pervenit; ac præter opinionem disjunctas fœderatorum vires, Austriaco Messanam, Columna Neapolim profectis, Veneriumque gravi morbo affectum offendit. Statim cuncta, quæ ad regendam classem spectabant, obire cœpit: copias lustrare, commeatus curare, labantes disciplinæ severitate coercere; quæ, ne tam insignis victoriæ fructus conteratur, agenda forent, meditari. Itaque concilio coacto, de belli administrandi ratione disserit. *Reipublicæ minime conducere*, inquit, *ut tot tririmibus instructa classis, diutius Corcyræ moretur: bebescere militum virtutem, spes a finitimis populis conceptas languere, inertis otio præteri-*

Veneri
Margariti-
num occu-
pant.

Suppotum
a nostris
captum.
Iacobus
Superantius
Corcyram
pervenit.

Iacobus Su-
perantii
sententia de
tririmibus
in Aegæum
mittendis.